VETUS ET NOVA
ECCLESIÆ
DISCIPLINA
CIRCA
BENEFICIA & BENEFICIARIOS,
IN TRES PARTES DISTRIBUTA,
variiſque Animadverſionibus locupletata;
AUTHORE, EODEMQUE INTERPRETE
LUDOVICO THOMASSINO
Oratorii Gallicani Presbytero,
EDITIO NOVISSIMA,
Cui nunc primum adjectus eſt
TRACTATUS BENEFICIARIUS
FR. CÆSARII MARIÆ SGUANIN
Pro indemniter ſalvandis juribus SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ quoad
BENEFICIA ECCLESIASTICA.

PARS PRIMA, ſive TOMUS PRIMUS,
UBI AGITUR
LIB. I. De primo Cleri Ordine. LIB. II. De ſecundo Cleri Ordine.
LIB. III. De Clericorum & Monachorum Congregationibus.
QUÆSTIONIBUS SINGULIS EX ORDINE TEMPORUM
Ab exordio Eccleſiæ ad Clodovæum, inde ad Carolum Magnum, rurſus
inde ad Hugonem Capetium, denique ad hæc uſque tempora pertractatis;
nuſquam tamen interrupto earum contextu.
OPUS EX SANCTIS PATRIBUS, EX CONCILIIS,
ex quorumque temporum Hiſtoriis decerptum;

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M. DCC. LX.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

ELOGIUM HISTORICUM
P. LUDOVICI THOMASSINI,
ORATORII GALLICANI PRESBYTERI,
E Gallicis Elogiis Virorum Illuſtrium ſuperioris ſæculi D. Peraltii Pariſiis 1698.
A JOANNE DOMINICO MANSI,
Congregationis Matris Dei, Lucenſi, Latinis Literis traditum.

ÆQUABILIS adeo vitæ genus ſectatus eſt P. Thomaſſinus, ut totum ejus Elogium paucis tranſigi poſſe videatur; antequam enim apud Patres Oratorii inſtituendus traderetur, ubi & vitæ curſum abſolvit, nullo alio quam prece & ſtudio totus occupabatur. Sed incredibilis illa ad ſtudium excolendum contentio, tam largam cognitionum meſſem viro intulit, ut ſi explicare ſingula noſtra hac commentatiuncula meditaremur (quod res ipſa exigeret, ut juſtam aliquam ejus ideam ingereremus) præſcriptas nobis ſcribendi metas plus nimio cogeremur excedere.

Ex quo juveniles ſcientias, literas ſcilicet humaniores, eloquentiam, & Philoſophiam habuit familiares, docere alios aggreſſus, & aliorum profectum in eo ſtudii genere, & ſuum maxime promovit; qua enim præſtabat ingenii vi & perſpicacitate, nihil tractandum aſſumebat, quin nova ſimul plura & inveniret ipſe, & alios inventa doceret. Sed genio & religioſi cordis pietate ad Theologiæ ſtudium velificatus, brevi unicæ huic occupationi cæteras omnes poſthabuit; eam potiſſimum ſibi eligens Theologiæ partem, quam in Scriptura, Patribus, & Conciliis maxime verſantem, poſitivam appellant. Cum Patris Petavii liber de Dogmatibus publicam lucem aſpexit, tanti viri exemplo conſilium ſuum confirmavit, non quidem ſpicilegium colligendi Viri doctiſſimi, qui ad dogmatum hiſtoriam tam exactam ſedulitatem, & vetuſtatis peritiam contulit, quantam rei vaſtitas exigeret; ſed ſuper ſtructas ab illo meditationes gradiens, ad intima myſteriorum & dogmatum adyta pervaſit. Hiſtorici partes in iis quæ ad dogmata pertinent, egregie Petavius exequutus eſt; noſtro vero decus eſt non infimum, abditiſſima quæque & ſublimia myſteriorum arcana, in iis maxime quæ ad Filii Dei in carnem adventum ſpectant, pervaſiſſe. Ecquis non admiretur latentia Dei conſilia, fines, rerum inter ſe connexiones & affinitates, & alia ſexcenta ejus generis prodigia, quæ legentibus ipſe prodit ac referat; Circa annum 1654. Theologiam in Seminario S. Maglorii legere aggreſſus eſt, ubi pariter Collationes ſuas in Patres, Hiſtoriam & Concilia inſtituens, ad annum uſque 1688. perduxit. Hanc occupationem negotioſa aliqua quies identidem intercipiebat; qua enim erat apud ſummos Præſules opinione, editiones Operum, quæ paraverat, tum ab ipſis, cum ab Oratorii præſidibus juſſus capeſſivit. Commentariis de Gratia, & Diſſertationibus in Concilia præmiſſis, Dogmata Theologica, de quibus ſupra, & Commentario de Gratia, multo quam prius auctiores, emiſit in publicum. Exceperunt hæc omnia Opus de Diſciplina, tum & varii Tractatus de Jejuniis, Feſtis, Officio Divino, Eccleſiæ unitate, veritate & mendacio, Eleemoſynis & recto uſu bonorum temporalium. Singula hæc Opera legentes ad prodigioſam ſacræ item & prophanæ eruditionis copiam hærent attoniti; nec minus eſt admirationi acumen illud ſingulare præſtantiſſimi Authoris, quo intima quæque Platonicæ Philoſophiæ arcana, cum res poſcit, pervadit & reſerat.

Eo ſtudio, quo ſe olim in Authorum Paganorum lectione exercuerat, minus contentus, idem demum ſtadium emenſus eſt, ediditque Methodum legendi, ut Chriſtianum decet, Authores Philoſophicos, Hiſtoricos, Poeticos, ſedulo ac luculenter in eo

VETUS ET NOVA ECCLESIÆ DISCIPLINA

CIRCA BENEFICIA ET BENEFICIARIOS, DISTRIBUTA IN TRES PARTES,

Quæ & ipſæ in tres libros ſingulæ diſtributæ ſunt.

PARS PRIMA,

IN QUA AGITUR

Lib. I. De primo Cleri Ordine.
Lib. II. De ſecundo Cleri Ordine.
Lib. III. De Monaſticis Congregationibus.

LIBER PRIMUS,

De primo & principe Cleri Ordine, de Epiſcopatu & omnibus ejuſdem gradibus, de ſummo Pontifice, de Patriarchis & Exarchis, de Primatibus & Archiepiſcopis, de Metropolitanis & Epiſcopis.

DE PLENITUDINE SACERDOTII IN EPISCOPATU, de variis ejus gradibus, de Papa.

CAPUT I. *P. 1. l. 1. c. 1.*

De Epiſcopatu in genere, prout omnes Epiſcopatus gradus amplectitur, eſſe in eo plenitudinem, ſummumque apicem ſpiritalis & ſacerdotalis imperii.

I. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſumma æternaque lex eſt, & æternus Pontifex.

II. In terris ſe receperunt, & Pontificatum ſuum ſplendidiſſimè ibi explicaturus, ejuſdem vicarios & miniſtros ſuæ ante in terris Eccleſiæ præfecit.

III. Ii ſunt Apoſtoli, & Epiſcopi, Apoſtolorum ſucceſſores.

IV. Hos in conſortium aſcivit Pontificii ſui & ſacerdotalis imperii, ut ipſis erat conſentaneum.

V. Non ergo Epiſcopatus mera eſt extenſio Preſbyteralis Ordinis, ut facilè dilucebit, ſi Epiſcopatum ſpectes qualem quantumque vel Chriſtus contulit, vel Apoſtolis concedendum conceſſit.

VI. Non aliud vel Paulus vel Hieronymus innuunt, quibus ævo exordia ſua Eccleſiam à ſolis Epiſcopis adminiſtratam fuiſſe, & ea tunc quidem fuiſſe, ut omnes Preſbyteri ordine & poteſtate Epiſcopali pollerent.

VII. Qui primi ſunt Eccleſiarum ſatores & parentes, Apoſtolico Ordini & nomini omnes accenſebantur.

VIII. Prædicatio verbi, Eccleſiarum propagatio, gentium converſio, civitatum adminiſtratio, Epiſcopis demandanda erat.

IX. Ut Epiſcopatus natura, indoles & majeſtas eluceat, in ſuo maximè fonte ſpectandus eſt, in Chriſto & in Apoſtolis.

X. Cum Preſbyter Epiſcopali Ordine augetur, tum verò plenitudine & ſuprema poteſtate ſacerdotii donatur, qua carebat priùs.

XI. Ut primùm Epiſcopus inauguratus eſt, ipſa Preſbyteratus munia perſungitur longè ſplendidiùs, auctiùs & ſplendidiora.

XII. Preſbyteratus munia non ferè niſi abſente Epiſcopo implebant olim Preſbyteri.

XIII. Sacerdotium ſolus Epiſcopus confert, quòd ejus plenitudinem ſolus obtineat.

XIV. Sacerdotium Chriſtus inſtituit, Epiſcopus effundit, Preſbyter exercet.

XV. Epiſcopi opulentia & fœcunditas ea eſt, ut non ſolum Sacerdotium impertiat, ſed & ejus impertiendi vim & fœcunditatem.

I. SEmpiternus Dei Filius in terras & in carnem noſtram delapſus, ut novæ legis, novique ſacerdotii fundamenta jaceret, lex ipſe nobis ſumma ſummuſque idem Pontifex eſſe voluit, Æterna & incorruptibilis veritas, Verbum Patris qui eſt ante ſecula, utque Lex ipſiſſima & Legiſlator veriſſimus, noſtræ ſe carni inſinuare in tempore dignatus eſt, atque ita Sacerdos & ſacerdotii ſui novi victima ipſemet evaſit. Lex nova, auctore Paulo, novo ſacerdotio fulcienda erat. Heb. 7. Pontifex numeris omnibus abſolutus, Lex ipſe viva & vegeta populorum eſt. Ita imperii populique nullo locorum, nullo temporum fine circumſcribendi, Lex non poterat eſſe, niſi ſempiterna Veritas.